



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

De S. Eutropio episcopo & martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

su. piè creditur ab eius consortio nunc in spiritu non esse diuisus, cui dum in carne uiucret, vnanimiter extitit in amore iunctus.

Nos autem, dilectissimi, qui exagitantem Saul spiritum malum, auxiliante Deo, post terga dimisimus, immò qui Pharaonis exercitum in mari rubro demersum, per virtutem sacramenti paschalis euasimus, pro carnis tamen infirmitate adhuc versamur in cremo, transeamus ad vitæ perfectionem, ad terram scilicet lacte & melle manantem. Egressi de Sodomis, non in Segor diutiùs immoremur, sed liberati cum Loth, montis verticem celeriter ascendamus: quatenùs qui inter ipsa tyrociniij rudimenta, iam beatorum martyrum cœpimus aggaudere triumphis, quandoq; ad hoc etiam proueamur, vt discamus & ipsi triumphare cum sanctis. Et ipse sit fortitudo nostra dum protegit, qui factus est precium cum redemit, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Exod. 14

Gen. 19

VITA SANCTI EVTROPII EPISCO

PI ET MARTYRIS, PER D. GREGORIVM ARCHL

episcopum Turonensem scripta. Posita est in libro eiusdem

in gloriam plurimorum martyrum

edito, capite 56.



VTROPIVS quoque Sanctonica vrbis Episcopus à beato Clemente Episcopo fertur directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia consecratus, impleto huius officij ordine, peractaque incredulis predicatio- ne, insurgentibus paganis, quos autor inuidiæ credere nõ permisit, illiso capite victor occubuit.

Aprilis 30.

S. Eutropij capite ple- ctitur.

Sed quia eo tempore instante persecutione, neque à Christianis debito honore veneratus, neque digno loco sepultus est, valde datus obliuioni Martyr ille fuit. Qui hoc ordine traditur reuelatus. Post multa annorum spatia in eius honore basilica ædificata est. Expletoque opere Palladius, qui tunc sacerdotalis ordinis cathedram regebat, conuocatis, Abbatibus sacros cineres in loco, quem preparauerat, trans- ferri studuit.

translatio sacratissi- mi corpo- ris eius.

Quòd cum factum fuisset, duo ex Abbatibus, referato opertorio, sanctum cor- pus adspiciunt, contemplanturque cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat securis acumen. Sed ne præsens visio duceretur in irritum, etiam spiritalis hæc do- ctрина communiuit. Scilicet cum sequenti nocte strauissent sacerdotes membra quieti, apparuit per visum his duobus dicens: Cicatricem quam contemplati estis in capite, scitote me per eam martyrium consumasse. Et ex hoc quòd martyr esset, innotuit populis, quia non aderat historia passionis.

Apparitiõ eius.

MAI VS